



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

Quæstio I. Quid sit Thesaurus Ecclesiæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

DISTINCTIO III.

De Indulgentijs.

QUÆSTIO I.

Quid sit Thesaurus Ecclesiæ?

1. **I**ndulgentiæ nomen, quod à verbo *indulgeo* derivatur, quandoque accipitur pro lenitate, seu condescendentia; ut *1. Corinth. 7. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Alio modo sumitur pro remissione; ut *Isaiæ cap. 61. Prædicare captivis indulgentiam.* Quæ verba apud *S. Lucam cap. 4.* referuntur taliter: *Prædicare captivis remissionem:* ut proinde Indulgentia quandoque sumatur pro remissione.

2. Hanc utramque significationem Theologi conjungunt, & Indulgentiam vocant remissionem poenæ temporalis, ex condonatis peccatorum culpis sæpè remanentis, quæ fit ex causa iusta & rationabili, per dispensationem Thesauri Ecclesiæ. Hujus autem nomine aliud non intelligitur, quàm Thesaurus spiritalis satisfactionum Christi & Sanctorum, qui applicari possit reis alicujus poenæ temporalis, post peccata quoad culpam in Sacramento Poenitentiae jam dimissa non raro restantis. Et de hoc loquendo, sit

3. **CONCL. I.** Datur in Ecclesia ejusmodi Thesaurus spiritalis, ex meritis Christi, & satisfactionibus Sanctorum constitutus, qui nunquam exhauriri, sed per legitimam Indulgentiarum concessionem dispensari potest. Ita omnes Catholici; atque patet tum ex perpetua traditione, ac sensu Ecclesiæ; tum ex mox alleganda Extravag. *Unigenitus:* tum ex Concilio Trid. *Sess. 25. in Decreto de Indulgentijs,* cujus verba *num. 25.* referentur. Fundetur insuper hæc Catholica Veritas in illo Symboli Apostolici articulo: *Credo Sanctorum Communionem.* Nam Corpus mysticum Ecclesiæ non solum Christo tanquam capite conitatur, sed etiam Sanctis tanquam nobilissimis membris; juxta illud *Rom. cap. 12. Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Atqui in corpore sano caput, & reliqua membra, habent talem communicationem ad invicem, ut quod uni superfluit

Indulgentiæ variæ accipiuntur.

Quomodo sumatur in proposito?

Thesaurus Ecclesiæ datur, & quid sit?

perfluit, alteri communicetur; ergo idem dicendum de Corpore Christi myltico, quod est Ecclesia.

Is declara-
tur ex verbis
Extravag.
Unigeniti
IHS.

4. Porro pro vera intelligentia hujus Thesauri Ecclesie, juvat adducere verba cit. Extravag. *Unigenitus*. quæ in Jure Canonico habetur inter Extravagantes Communes. tit. de Poenit. & Remiss. ubi præmissâ prerogativâ meritorum, atque satisfactionû Unigeniti Filij Dei JESU Christi, sic loquitur Pontifex Clemens VI. *Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis aut superflua, tanta effusionis miseratione redderetur, Thesaurum Adilitanti Ecclesie acquisivit, volens suis thesaurizare filijs pius Pater, ut sic sit infinitus Thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitia participes sunt effecti. Quem quidem Thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per Beatum Petrum, Cæli Clavigerum, ejusque Successores suos in terris Vicarios commisit Fidelibus salubriter dispensandum, & proprijs & rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione poenæ temporalis pro peccatis debita tam generaliter, quam specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent) verè poenitentibus & confessis misericorditer applicandum. Ad cujus quidem Thesauri cumulum, Beata Dei Genetricis, omnium Electorum à primo Justo usque ad ultimum merita, adminiculum præstare noscuntur: de cujus consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi (ut prædictum est) merita, quam pro eo, quòd quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tantò magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.* Hactenus Pontifex in cit. Extravag. *Unigenitus*.

Constare ex
meritis ac
satisfactio-
nibus Chri-
sti, & San-
ctorum.

5. Ex his proinde sequitur, quòd Thesaurus Ecclesie constet imprimis ex meritis & satisfactionibus Christi, quarum valor cum sit infinitus, Thesaurus hic exhauriri nunquam poterit. Sequitur ulterius, quòd ex dignatione Divina ad constituendum dictum Thesaurum, ejusque cumulum accedant, atque adminiculum præstent merita Beatissimæ Virginis MARIE, omniumque Sanctorum: idque tum propter valorem generalissimum, qui in omni opere bono reperitur, atque universali Ecclesie obvenit. Tum ex eo: quia plurimi Sancti uberiora opera bona & satisfactoria peregerunt, plûsque passi sunt, quam opus fuerit pro remissione poenæ temporalis eorum peccatis debita; ut patet in D. Virgine MARIA, nullius maculâ peccati unquam contaminata; S. Joanne Baptista, jam sanctificato in utero materno; item in SS. Apostolis, atque innumeris SS. Martyribus, Confessoribus, Virginibus, aliisque Sanctis. Unde, ne alioquin ejusmodi merita, si ve satisfactiones Sanctorum, quoad vim satisfacto-

factoriam à Deo irremunerata remaneant ; ſimulque, ut in Corpore myſtico Eccleſiæ perfecta ſervetur *Communio Sanctorum*, & quod uni ejuſdem membro ſuperabundat, alteri communicetur, prout alioquin in corpore ſano fieri aſolet : congruum fuit, ut ex Divina dignatione, ac non obſtante infinitate meritorum Chriſti, etiam merita, ſive ſatisfactiones Sanctorum, ad conſtituendum iſtum ſpiritualem Theſaurum Eccleſiæ aſſumerentur.

6. Hinc ſi objicias. Satisfactiones Chriſti repositæ in Theſauro Eccleſiæ, ſunt infinitæ ; ergo non eſt opus, ut ad eas accedant ſatisfactiones Sanctorum. Reſp. diſtinguendo conſequens : ergo hoc non eſt ſimpliciter & abſolutè neceſſarium, conceditur : neque hoc eſt congruum, ac Divinæ Providentiæ, Juſtitiæ, & Munificentiæ conſentaneum, negatur. Siquidem merita ſeu ſatisfactiones Sanctorum reponuntur in Theſauro Eccleſiæ, non quaſi ſatisfactiones Chriſti per ſe non ſufficerent, ſed (ut jam dictum) ex dignatione Divina, ne alioquin ipſæ quoad vim ſatisfactoriam maneat irremuneratæ : ſimulque quia hoc iplum perquam glorioſum exiit Chriſto Domino, à quo omne bonum Sanctorum promanat ; ipſiſque Sanctis, in quibus Chriſtus ſicut Caput in ſuis membris honoratur, perhonorificium ; magiſque per hoc eluceſcit perfecta unio Sanctorum cum Chriſto Capite ſuo.

7. Dices. Si datur talis Theſaurus Eccleſiæ, conſtans ex ſatisfactionibus Chriſti & Sanctorum, ubinam locorum is reperitur ? Reſp. Hanc eſſe ſatis lepidam inſtanciam ? nam cum Theſaurus iſte ſit merè ſpirituſalis, ac moralis, utpote conſtans ex ſatisfactionibus Chriſti & Sanctorum, quæ ſunt quid ſpirituale ac morale, utique is in nullo loco materiali hujus Mundi repositus jacet. Ille igitur exiit duntaxat in mente Divina, in quantum ante oculos Dei merita, & ſatisfactiones ſuperabundantes Chriſti & Sanctorum nondum oblivioni ſunt traditæ ; ſed vivunt etiamnum, uſque dum alijs indigentibus Eccleſiæ membris opportundè communicentur, ſicque quantum fieri poteſt, debitum ipſis præmijs remiſſionis pœnæ temporalis reddatur.

8. Quæres, quot modis diſpenſetur Theſaurus Eccleſiæ ? Ubi notandum, quod Theſaurus Eccleſiæ poſſit dupliciter conſiderari. I. Ut conſtat ex meritis Chriſti. II. Ut conſtat ex meritis Chriſti & Sanctorum ſimul, juxta proximè dicta. Hoc prænotato,

Èccèèè

9. Re-

Quomodo
dispensatur?

9. Resp. I. Considerando Theaurum Ecclesiæ, prout constat ex meritis Christi, sic ipse dispensatur, nobisque applicatur varijs modis, videlicet per Sacramenta, per Missæ Sacrificium, perque alia pia opera Fidelium, ipsasque Indulgentias. Ratio est: quia quotiescunque aliqua culpa, vel poena nobis remittitur, aut aliquod gratiæ auxilium præstatur, semper Theaurus meritorum Christi nobis applicatur, & distribuitur; eo quod huiusmodi beneficia nobis non conferantur, nisi intuitu atque virtute meritorum & Passionis Christi.

Præsertim,
ut includit
satisfactio-
nes Sancto-
rum?

10. Resp. II. Spectando Theaurum Ecclesiæ, prout non solum ex meritis Christi, sed etiam ex satisfactionibus Sanctorum constare intelligitur, sic ipse duntaxat per Indulgentias dispensatur. Ita Suarez *part. 3. tom. 4. disp. 51. sect. 4.* & Maltrius *disp. 23. Theol. Mor. num. 9.* cum communi. Ratio est: quia Sacramenta, Missæque Sacrificium habent suam dignitatem, atque valorem ex opere operato, duntaxat ex meritis & Passione Christi, qui solus, utpote Redemptor noster, promeruit nobis facultatem, per bona opera consequendi gratiam vitamque æternam; ac proinde per hæc nobis non applicantur merita sive satisfactiones Sanctorum, benè tamen per Indulgentias. Et de his loquendo, sic

Q U Æ S T I O II.

Quid, & quotuplex sit Indulgentia?

Indulgen-
tia, quid?

11. **C**ONCL. I. *Indulgentia*, quantum ad propositum, est Remissio poenæ temporalis, peccatis actualibus, quoad culpam jam remissis, coram Deo adhuc debitæ, ab habente potestatem facta per applicationem sufficientis & condignæ solutionis ex communi Thesauro Ecclesiæ. Hæc definitio in re est communis Theologorum, & patebit ex declaratione ipsius.

Hæc non tol-
lunt culpã,
sed poenam
peccatorũ.

12. Dicitur, *remissio poenæ temporalis*. Quia Indulgentiæ non valent ad remissionem culpæ, neque mortalis, neque venialis; sed solum ad remissionem poenæ temporalis, quæ post culpam jam remissam non raro restat luenda, prout omnes Theologi fatentur. Accedit ratio: quia peccatum mortale non potest tolli, nisi per infusionem gratiæ sanctificantis; hæc autem non confertur per Indulgentias, sed solum per Sacramenta, in re, vel voto ritè suscepta. Et quamvis peccata venialia multis remedijs expiari possint, ut docet Concilium Trid. *Sess. 14. cap. 5.* nihilominus ipsa quo-